

~~Ober zu NK 4570~~

Zu 

Da

Le

Angehöriges

25
RECTORE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE
AC
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPE REGIO
CETERA
PRAESIDE

D. MICH. HENR. GRIBNERO P. P
JCT. ORD. H. T. DECANO
PRO

CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE
JURE HONORIBVS
DE

REPETITIONE
TORMENTORVM
CONFESSO INFITIANTE

DISSERET
IN AVDITORIO MAIORI
AVCTOR

GEORG. MATTHIAS SELPERT
RATISBON.

DIE XXIIIX. MENSIS DECEMBR. ANN. c10 I0CC XIV

VVITTEBERGAE
PRELO VIDVAE GERDESIANAE

RECTOR
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS
DOMINO
FRIDRICO AUGUSTO
PRINCEPS REGIS
SACRAE MAJESTATIS
D. NICH. HERR. GRUBBERO P.P.
CONSIST. DIS. THEOL. IN VIENNA
REPLETIONE
TORALESTORVM
COMMISSO P. H. H. H.
GEORG. MA. H. H. H.
WIDVAL. GEDENK.



DE
REPETITIONE TORMENTORUM
CONFESSO INFITIANTE

DISSERTATIO.

I.



ormenta non esse idoneum eruendæ verita- *Tormen-*
tis remedium, sed Legibus Divinis, æqui- *torum ju-*
tati ac rationi naturali repugnare AUGU- *stitiam.*
STINUS (a) LUDOVICUS VIVES
(b) ZEPPERUS (c) BROIDÆUS (d) WESEM-
A BECIUS

(a) *de Civitate Dei* L. XIX. c. 6. Idem tamen *epist.* 159. Marcellum laudar, quod *Donatistarum facinora* non extendente equuleo, non fulcantibus unguis, non urentibus flammis eruerit, sed verberibus virgarum. Perinde ac si verbera & virgæ, si adversus non convictos adhibeantur, non æque ac equuleus tormentorum habeant rationem, quibus expressa sæpius fuit confessio ab iis, qui alia quæstionum genera fortiter sustineant. v. LUDOVICI *Crim. Proc.* p. 85. 89.

(b) *in Comm. ad d. l. AUGUSTINI*, ubi ita concludit: *Locus est apud Rhetores communis de Tormentis, fortissima sunt quecunque contra tormenta dicunt, que vero pro tormentis, futilia & imbecilla.*

(c) ZEPPER *d. LL. Mosaic. L. V. c. 10. p. 644. seqq.*

(d) *Ad Francisc. POLLETI Historiam for. Rom. L. IV. c. 14. n. 6. P. 393.*

BECIUS (e) BACHOVIVS (f) GREVIUS (g)
uterque

(e) *Oecon. jur. ad ff. L. XLVIII. p. 105. Præfens, ait, si neget facinus, idonee convincatur, aut ex sufficientibus indicis questionè subjiciatur, quod diabolicum esse credo inventum ad excarnificandos homines de tormentis infernalibus allatum, addit tamen, sed in quibusdam atrociter nefarius ac refractarius necessarium.*

(f) *ad Paratil. Wesenb. tit. d. quest. n. 1.*

(g) *Job. GREVII, Clerici Arminiani Tribunal reformatum, in quo torturæ iniquitatem, multiplicem fallaciam, atque illicitum inter Christianos usum libera & necessaria Dissertatione aperuit, prodiit Hamburgi 1624. conscriptum ab Auctore aut fultim inchoatum in ergastulo Amstelodamensi. Passim hujus opusculi fieri videas mentionem, rarissimum tamen est, neque id nobis contigit videre. Petri igitur BAYLE de eo Judicium adscribemus: Il roule sur une matiere fort delicate, où il semble, qu'on ne puisse se declarer pour la negative, sans condamner une pratique autorisée par les loix de l'Etat. Il n'y a guere de país au monde, où la question ne soit en usage. Mais il faut bien remarquer, que les Souverains qui l'autorisent, et qui ordonnent meme, qu'elle fasse une partie notable de la pratique criminelle, n'imposent pas aux particuliers la necessité de croire, qu'elle soit juste. Il s'est trouvé de tout tems et en tout país, plusieurs savans hommes, qui se sont donnés la liberté d'en représenter les abus et les injustices. Notre Grevius est de ceux là. Son traité merite d'être lu. Ceci doit apprendre à certains esprits persecuteurs, que c'est sans raison qu'ils barcelent leurs ennemis sous pretexte qu'on n'approuve pas ou tous les usages de son país, ou tous les principes de ceux qui gouvernent. La soumission de sujets demande bien, que l'on obéisse aux Magistrats, mais non pas qu'on croie qu'ils agissent toujours justement, qu'entre deux usages ils n'ajent choisi quelque fois le pire. Il est même permis d'écrire pour représenter respectueusement les abus, à fin de porter le Souverain à les reformer.*

uterque ANTONIUS MATTHÆI (h) WISSENBACHIIUS (i) SCHOTANUS (k) REGNERUS (l) SCHALLERUS (m) AUGUSTINUS NICOLAS (n) BERNHARDI (o) THOMASIIUS (p) BEYERUS (q) aliique asserere non

A 2

dubita-

- (h) *Pater Colleg. fundam. Jur. disp. VII. th. 16. Filius Tract. de Crim. T. XVI. Cap. 5. p. 724. f. 99.*
- (i) WISSENBACH *ad ff. h. t. §. 13.*
- (k) *Henricum SCHOTANUM JCrum & Antecessorem oblatum in suprema Curia Senatoris locum hac ex causa subterfugisse post VINNIUM refert HUBER ad ff. h. t. §. 1.*
- (l) *Cyprian. REGNERUS ab Oosterga Disp. ad ff. 61. ad l. 1. ff. d. Quæst. p. 107. & Censur. Belg. ad eund. tit. p. 487.*
- (m) *Cujus Paradoxon de Tortura in Republica Christiana non exercenda exercitii, ut habet titulus, gratia propositum, ita conscriptum est, ut serio hanc causam egisse Auctorem facile appareat, prodiit primum Ao. 1658. Recusum novissime cum Nicolai Tract. Argentor. ao. 1697.*
- (n) *Augustini NICOLAI Dissertatio moralis & Juridica: si La Torture est un moyen seur à verifier les crimes secrets, Amstel. 1682. prodiit, & in Latinam linguam translata Argent. 1697. Opus lectu dignissimum & in hoc argumento fere præcipuum, in quo inprimis in abusum torture in causis fortilegii gravissime Auctor invehitur.*
- (o) *Martini BERNHARDI Dissert. de Tortura ex foris Christianorum proscribenda, Præside Illustri THOMASIO habita est Hal. 1705. hanc ipsi Thomasio tribuit Beyer eo, quem lit. p. allegabimus loco. Sed Epistola adjecta aliaque satis docent, a Respondente non a Præside eam conscriptam esse.*
- (p) *Qui in Epist. cit. non per omnia quidem Respondentis sententiam approbat, non dubitat tamen asserere: torturam esse iniquam & Republicas Christianas non decere. add. eundem ad ff. p. 371. & ad Huber. d. Jur. Civit. L. III. Sect. 2. c. 4. n. 32. p. 635.*
- (q) *Qui licet ad ff. tit. d. quæstion. torturam se non rejicere dicat,*

dubitarunt. (r) Sed pro Justitia eorum longe plures, ex quibus HAHNIUM (s) TABOREM (t) ECKOLDTUM (u) CARPZOVIVM (x) BORNIVM (y) STRUVIVM (z) HUBERUM (aa) VOETIVM

ad Art. XX. tamen Ord. Crim. Pos. I. p. 39. mutata priore, ut videtur, sententia scribit: *rationes, quas contra torturam Ant. Matthæi & Thomastus attulerunt, omnes saltem tacite fateri coguntur torturæ propugnatores, obtenta solum ejus necessitate.*

(r) Vid. sis MAYFART von dem Laster der Hererey. C. XVII. & XXI. Dan. GRIBNERI *Concion. poenit.* IX. PANCIROLUM *Var. Lect. L. I. c. 41.* RUPERTUM *Dissert. ad Valer. Maxim. L. VII. c. 4.* MONTAGNE *L. II. c. 5.* & *inprimis Libellum, cui titulus est, Effigies Justitiæ, das ist / Bildniß der Gerechtigkeit / samt dero Inhalt und Bedeutung / sodann auch eine aus Gottes Wort und der Natur angestellte genaue Untersuchung / ob das Effigies Torturæ derselben ähnlich sey / oder nicht? Nec non Auctorem Cautiois Criminalis d. Process. contra sagas dub. 20. & in Appendice p. 401. seqq. & Stephan NATHEN conductum SPORMACHER de Justit. Vulnerata p. 1. tit. 3. c. 6.*

(s) HAHN. *ad WESENBECK. h. t. n. 2.*

(t) *De Tortura & indicii delictorum c. 2. Tom. II. Oper. p. 438. sqq.*

(u) ECKOLDT. *h. t. §. 1.*

(x) *Prax. Crim. qu. 117. n. 3. sqq.*

(y) *Illustris Jcti Jacobi BORNII Programma, an fas sit in Republica Judiciisque Christianis torturam tolerare, scriptum est Ao. 1679. contra non neminem, qui nec Judicem illatâ conscientia exercere eam posse, nec Jctum desuper Responsum ferre asseruerat.*

(z) *Dissert. Crim. l. th. 16.*

(aa) *d. Jur. Civ. L. III. S. 2. c. 4. §. 32. & ad ff. tit. d. Quæst. §. 1. Id. Jpr. bod. P. II. h. 3. c. 22.*

ETIUM (bb) MUELENIUM (cc) BODINUM (dd) allegasse sufficiat, (ee) contendunt.

II.

Utriusque partis causas paucis attingamus, & stric- *Alii in du-*
 tum recensebimus, quæ plenius persequi non licet ar- *bium vo-*
 gumenta. *Qui* igitur contra tormenta differunt, crucia- *cant.*
 tus illos poenam esse contendunt, qua affici non debeat,
 de cuius crimine non constat, ne pro incerto scelere
 certissimum luat innocens supplicium. Negant ido-
 neum ea esse eliciendæ veritatis remedium, cum post
 confessionem per quæstiones expressam, qui interficiat
 tortum non magis, quam ante sciat, nocentem an inno-
 centem interficiat, & eum, quem ne innocentem neca-
 ret, tormentis subjecerat, & tortum & innocentem

A 3

sæpius

(bb) *Job. VOETII* Oratio de hoc argumento habita existat in
ejusdem Comm. ad ff. h. t. §. 1.

(cc) *Job. Andr. v. der MUELEN Jur. Pol. P. II. qu. 22.* qui tamen
p. 437. licitam eam esse dicit, non ad eruendam veritatem, sed
eliciendam tantum confessionem.

(dd) *Diss. d. Torturae abusu & usu th. 5. sqq. & in Dissert. ad l. mili-*
tes 8. C. de quæstion. th. 7. quæ, quod miror, dissertatio Re-
 spondente *Freieisleben* habita Ao. 1697. integra Ao. 1703. Ham-
 burgi, si non mentitur rubrum, prodiit, hoc titulo: *Aleto-*
phili Schnurbein liber unus de tortura caute adhibenda.

(ee) Paucos nominasse sufficiet in argumento, circa quod pleri-
 que consentiunt. Neque enim fere quisquam est eorum,
 qui Jurisprudentiam Criminalem exposuerunt, aut in Titu-
 lum ff. de Quæstion. commentati sunt, qui non iustitiam tor-
 mentorum tueretur. Sed cum plerique nullas omnino, aut
 non alias, quam ii, quos adduximus, rationes allegent, nolui
 in illis cumulandis intempestive sedulus videri: addi possunt
ZIGLER. Dicast. concl. 30. WILLENBERG. d. innocentia
per torturam purgata Proem. §. 3. sqq.

sæpius occidat. Regere tormenta dolorem, moderari naturam, cujusque tum animi, tum corporis, neque iis aut minus affligi, qui nullius delicti sibi sunt conscii, aut, magis qui perpetrati facinoris sunt rei, ut, quæ aliquando vera fatendi necessitatem injiciant, eadem sæpius falsa dicendi præstent causam. Itaque eventum quæstionis a patientia & robore ejus pendere, qui patitur, non a causa, & mentiri plerumque tortos non minus, qui possint pati, quam qui pati nequeant, cum illis facile mendacium patientia faciat, his infirmitas necessarium. Ita vero evenire sæpius, ut quibus in facinora animus & in dolores corpus firmatum sit, sceleratissimi mortaliū superatis tormentis innocentes esse declarentur, ac omnem vim quæstionum eludant, dum satius esse existiment, torqueri aliquoties, quam jugulari semel. (a) Illis nullam tormenta vocem ac ne suspiria quidem exprimere, & repetita etiam tormenta spernere, qui nolint mori. In his ergo, qui tantæ constantiæ sint, perdere vim suam quæstionem, confessionem frustra expectari, eosque sive puros sive reos sceleris dimittendos esse, infelices, si innocentes crudelia passi sint, feliciores,

(a) Ita Ribaldus ille, cujus post Hippol. de MARSIL. FARNACIUS Qu. 38. n. 96. alique meminerunt, cum Mediolani ob suspicionem furti de eo quæstio haberetur, in tormentis fatebatur crimen, & postea ad bancum juris omnia negabat: atque interrogatus, quare id faceret, subridens respondisse fertur: *Quia melius est millies torqueri in brachiis, quam in gula semel, cum multi inveniantur Medici, qui sciant reaptare ossa brachiorum, sed nemo invenitur, qui sciat reaptare gulam.* Ita ille. Addit Hippolit. de Marsil. Ribaldum illum multum prudentem & sagacem fuisse, & absolutionem tandem obtinuisse.

ciores, si noxii vitam patientia redemerint. Contra illos, quibus eam vim corporis & animi natura negaverit, succumbere dolori, & malle fatendo falsa mori, quam vere infitiano dolere. Quos dum cogat mentiri tormentor, ultro se morti offerre, quæ ipsis solatium & doloris finis, vita contra summum inter tormenta supplicium videatur. Tanta vero non paucos & honestissimos fere quosque esse impatientia, ut vix aspectum carnificis nedum ingentem illum crudelitatis ingeniosæ apparatus sustinere possint, parati, quicquid criminum aut *Carolina Ordinatio* contineat, aut *Carpzovius*, *Farinacius* & reliqui coacervaverint, potius a se admissum fingere, & sua se confessione interimere, quam excedentes naturæ debilitatem dolores & intolerandos patientiæ humanæ cruciatus ferre. Illos quicquid sibi responderi velit, qui torquet fateri, & si quid amplius etiam interrogaverit, non minus confessuros esse. Ita olim oppressos & veluti admissio scelere, quod confessi erant, damnatos esse plurimos, quorum sera innocentiam re non integra amplius fata declaraverint, (b) plures vero sine dubio periisse infontes, quorum post supplicium quoque causâ dubia fuerit & incerta. Imo quod fere incredibile videri poterat, non defuisse, qui falsâ in quæstione professi, vel aternæ salutis periculum subire, quam quæ perpeffi, & quibus ad mentiendum compulsi fuerant,

(b) *vid. Tacit. annal. l. 15. Valer. Maxim. L. VIII. c. 4. GROT. flor. sparsion. ad tit. de confess. p. 210. OLDEKOP. Obs. Crim. in fin. BERNHARD. de tortur. ex for. Christian. proscrib. c. II. §. 3. ibique GREVIUM, qui plura referunt exempla eorum, qui quæ non admiserant, admisisse se in tormentis dixerunt, & innocentes supplicio affecti sunt.*

fuerant, tormenta denuo voluerint experiri. (c) Cru-
dele vero & barbarum videri, non convictum ad con-
fitendum cogere, & coacte confessum veluti convictum
necare. Sane si cœlestis Vis vires & animum miseris
innocentibus sufficeret, adimeret sceleratis, divinum di-
ci debere tormenta remedium, & insigne beneficium
generis humani, nunc cum Dei in re tam lubrica desti-
tuamur promissione, tentari frustra & temere provi-
dentiam Divinam, neque certius veritatis præsidium,
quam aut ignitos vomeres, aut aquam sive ferventem
sive frigidam & frequentia Majoribus nostris duella ac
cætera purgationis vulgaris genera, quæstionem haberi
posse.

III.

*Alii tuen-
tur.*

At qui pro justitia quæstionis contendunt, negant
eam pœnam esse, cum non minus quam squalor carce-
ris aut compedum vinculorumque molestiæ in suspe-
ctos, non in damnatos decernatur, aut si omnino pœna
dicenda sit contumaciæ, non criminis volunt esse pœ-
nam. Vim quoque, qua extorqueatur confessio, non
injustam

(c) Auctor Cautionis Criminalis dub. 20. p. 115. *Scient confessari*, inquit, qui experientiam aliquam habent, reperiri nonnul-
los, qui ubi falso quospiam in tormentis detulerunt, post autem
in penitentiæ sacramento intelligunt, non posse a peccatis absol-
vi, nisi quos falsa accusatione in vita discrimen coniecere, rur-
sus eripiant, excipere solere id se facere non posse, quod time-
ant, ne si canant palinodiam, rursus in quæstionem repetantur.
Ad quod si instet confessarius, nihilominus non posse innocentes
in culpa relinqui sub pœna damnationis, respondere non raro:
se vero quavis ratione innocentie eorum consulere paratos esse,
sed ni aliter queant, quam cum periculo redeundi in quæstio-
nem non posse neque velle, ne quidem si de salute sit actum.

injustam esse, cum Juris & Judicis auctoritate legitime inferatur, ut quæ per eam exprimitur confessio, nulla aut irrita nequeat haberi. Durum hoc videri remedium, sed necessarium esse, quod salus Reipublicæ exigat, imo efflagitet. Nihil enim gravius, nihil magis noxium Rebus publicis esse, quam scelerum impunitatem; hanc vero facinorosos quosque & sceleratissimos sibi promittere posse sublata quaestione, quæ sola eos in mentiendi & exceptiones comminiscendi artificio salutis spem ponere non patiatur. Neque enim qui atrocissima suscipiant crimina, testes nefandis conatibus adhibere, aut tabulis & instrumentorum fide convinci posse, ut, si, quoties plena commissi sceleris probatio deficiat, condemnari non debeant, quidlibet deinceps aufuri sint, & ad scelera quævis suscipienda ipsa impunitatis spe & facilitate eludendi judicia promptiores futuri. Suspectum vero ante purgatas suspicionum causas dimittere, esse nocentes absolvere, aliisque parem impunitatis fiduciam facere, quod quidem æque grave & injustum sit, quam innocentem damnare. Neque ad juramentum purgatorium, quod vocant, in Criminibus gravissimis & si plus quam semiplena commissi sceleris probatio aut indicia valde probabilia adsint, sine perjurii metu nefarios homines admitti posse; quos, cum nec Numinis reverentia nec honestas, quam dudum deposuerint omnem, in officio retinere potuerit, facile scelus sceleri addere & non minori facilitate ad pejerandum accedere, quam ad delinquendum antea fuerant commoti. Adversus hos ergo sceleratissimos mortalium & facem generis humani solum in tormentis superesse præsidium, idque huc usque non sine singulari successu adprobante veluti

B

cœlesti

cœlesti tam necessarium indagandæ veritatis remedium Providentia adhibitum fuisse. Fatigatos enim tormentis confessos esse sæpius, quæ pertinacissime negaverant ante, in eaque confessione perseverasse. Quos vera inter dolores dixisse eventus probaverit, & manifesta dein evicerint, quæ confessionem confirmaverant, indicia. Hanc ergo torturam & hanc fere solam efficere, ut quæ absque illa impunia futura fuerant scelera, justis suppliciis coerceantur, aliique ab ausibus similibus deterreantur. Raro vero innocentes tormentis subjici, & nunquam fere propria sine culpa, rarius eos dolori succumbere & falsa in se ipsos confiteri. Quod si id quandoque contingat, torturæ justitiæ nihil detrahi, cum & per testium falsas depositiones & Judicis malitiam innocentes aliquando opprimantur, neque tamen eam ob causam aut Judicia tolli possint, aut fides attestantium debilitari. Itaque quicquid hic supereffe possit incommodi, id satis publica utilitate pensari. Tacito denique civitatis pacto & subditorum consensu (a) quo etiam leges duræ & quodammodo iniquæ sustineantur, ac plerarumque per tot secula Gentium conspiratione satis tormenta approbari, ut propemodum Gentium Juris esse videatur, quam tot prudentissimi populi & olim adhibuerunt, & nunc quoque maxima pars Orbis Christiani constanti usu retineat, approbet & confirmet.

IV.

Tormentorum usus tolli potest.

Habes, Lector Benevole, paucis potissimas partis utriusque rationes, quas bona fide exhibui, Tibique excutiendas relinquo. Vides utilem quæstionem & interdum non injustam; eandem tamen & fallacem sæpius &

(a) *vid. HUBER. ad ff. tit. de question. §. 1.*

& non satis tutam esse. Plura addere non licet. Id tamen certum & expeditum esse censeo, *tolli arbitrio Principis* hunc usitatissimum eruendæ veritatis modum posse, neque ita necessarium videri torquere suspectos, ut absque hoc præsidio salus publica in tuto nequeat collocari. Ipsa fane *Ebræorum Respublica*, quæ Sanctissimi Numinis institutis & Legibus Divinis substitit, *ignoravit tormenta*, & sine iis floruit. (a) Quod ne miraculo adscribas, aut singulari beneficio Legislatoris, Athenas considera, quæ & ipsæ liberos homines & cives suos non passæ sunt subijci quæstioni. (b) Roma quoque dum ipsa libera & sui Juris fuit, non nisi in mancipiis usum ejus admisit. (c) Floruit utraque absque tormentis Respublica, neque frequentiora inter eos fuerunt crimina, quam apud illos, qui hoc remedio leguntur usi. Hæc olim instituta optimarum Civitatum fuerunt: hæc nunc quoque felicitis illius Britannia instituta sunt. Equuleum nescit, expressam per tormenta confessionem nihili æstimat, & crudele veluti ac inhumanum hoc inquirendi genus abominatur. (d) De Regno Sueciæ eadem

B 2

(a) SCHALLERI *Paradox.* §. 1. ZEPPEL. *L. V. c. 10.*

(b) MEURS. *Themis Attic.* L. II. c. 7. *add. Program. Dn. Præsid. huic Diff. adj.*

(c) v. *Ant.* MATTH. *b. t. c. 2. & Dd. passim.*

(d) Thom. SMITH *juvat audire de Republica Anglor.* L. II. c. 27. p. 127. 199. *Equuleo aliquem torquendum subijcere, ut inter confessionem crimen elicias, præter morem gentis Anglicanæ est, & ser vile aliquid sapit. nam qua in re reip. unquam inserviverit, qui membra sic protensa atque ultra justam mensuræ longitudinem producta habuerit? nam si insontem esse contingat, quæ par esse potest compensatio, ut illi de injuria satisfiat? si mori oporteat, quod genus feritatis est, ipsum prius excarnifi-*

eadem LOCCENIUS tradidit (e) & de Arragonia olim GOMEZ. (f) Neque dubium est, alia etiam regna absque iis substituisse. Germania nostra diu tormenta ignora-

care? Etenim expressa per tormenta confessio nibili aestimatur. nam si in ipso iudicio fateatur, Duodecemvirorum sententiam non subit, si factum inficiatur, nihil obesse potest, quod prius culpam agnoverit. Anglis innatum est, ut mortem spernant, cruciatum non ferant. idcirco potius quidvis a se gestum profitebuntur, etiam patris sui interuersionem, quam ut cruciatui huiusmodi obnoxii amplius esse velint. neque enim mortem perinde horrent nostrates, atque levisimum tormenti genus. nullibi gentium fontes ad supplicium perductos, qui magis animose atque intrepide se gerant, quam in Anglia observabis. Contra populus tam horrendam feritatem videre non assuefactus, ex hac miseria dolorem hauriret, Principem quoque & Iudices abominaretur, qui tale genus crudelitatis inueherent. Duodecemviri quoque sua sponte absoluerent reos. perantiqua etiam apud Anglos sanctio est, ut si incarceratum aliquem equuleo subiciat ergastularius, ob eum finem ut criminis participes indicet, morte multetur. Et si rem ipsam putare volumus, equuleo & tormentis quid est opus? nam ut captivus fateatur aut diffiteatur, absque mora, si Duodecemvirorum calculo condemnetur, diem ultimum obire necesse est. fontes quoque, quum viderint aliter fieri non posse, quum populares & contribules ipsorum fuerint, quorum fidei vitam suam concrediderint, sponte se ipsorum sententiae subijciunt, & ob admissum facinus divinam misericordiam implorant. Animosa & libera, vite sanguinisque profusa est Anglorum natura. sed enim contumelias, verbera, servitutem ferre nullo modo potest. in hunc modum ab antiquissimis Principibus aliti atque educati sunt, ut milites potius strenuique evaderent, quam servili ignominia se contaminarent.

(e) LOCCEN. *Synops. Jur. Publ. Suecan. Diff. XXX. qu. 13. pag. 741. sqq.*

(f) *Var. Ref. Tom. III. c. 13.*

ignoravit, quam Jus Canonicum & crimen pravitatis hereticæ, in quo eruendo olim homines solliciti nimium & crudeles extiterunt, introduxisse videntur. Nunc nulla facile provincia est, quæ non receperit cum sanctione etiam Carolina & plerorumque locorum Constitutionibus sit approbata. Quas tamen non obstare credo Principi, qui in suis terris usum eorum tollere aut abrogare velit. Nam Ordinationi etiam Criminali derogare Principes vi Legislatoriæ Potestatis posse, nemo ^{etiam a} ^{quovis} ^{Principe} ^{in terri-} ^{torio.} puto ambiget, & si quis dubitet, vel solæ Augusti Saxonis Constitutiones omnem adiment dubitandi causam, quæ vix dici potest, quantum mutaverint Jus Commune Imperii, quod illa Lege continetur. Imo jam ante illa tempora non receperunt Carolinam illam Constitutionem quilibet Status Imperii, sed citius nonnulli, alii serius admiserunt, interpolatam etiam nonnulli, & non parum immutatam. Tantum abest, ut ad perpetuam illius observantiam se obligaverint, atque eam sibi legem dixerint, ut ab illa recedere non liceret. Cæterum quam posse tolli torturam dixi, eam an tollere consultum sit, an uno veluti ictu illam ejicere, an restringere ejus usum ac pedetentim excludere an omnino etiam retinere sit satius, aliam poscit deliberationem. Cui rei ego me non interpono, quæ ad eorum prudentiam pertinet, qui circa leges faciendas & Jura danda populo occupantur. Addam tamen, quæ eam in rem attulit Illustris THOMASIVS: *Utrum simpliciter consuli debeat Reſtoribus Rerum publicarum Christianarum, ut torturam exterminent, subsistat. Bene facit Medicus, ut statum hominis egrotantis ac signa morbi accurate secernat a signis sanitatis. Tum & cognito morbo serio optat, ut ille*

expellatur. Sed quantum id permittit prudentia Medica. Neque enim absque gravi periculo egrotantis indistincte poterit adhibere medicamenta morbo adversa, sed varia consideranda sunt Medico, puta ut radices morbi simul tollantur, ut constitutio corporis, etas, consuetudo, & annon malum nimis altas radices egerit, ut totum tolli nequeat, & que sunt similia, expendantur; Sic & Politicus ac JCtus in quaestione de tortura, antequam consulat, torturam esse eradicandam, considerabit, an & reliqui navi, quibus laborant Christianorum Republica, simul tolli queant, aut annon tortura sublata & reliquis navis intactis graviora damna sint metuenda. Considerabit, annon ille Republica, qua tortura non utuntur, sint feliciores, vel annon iisdem ac forte majoribus abusibus sint obnoxie. Ita v. g. notum est iis, qui accuratorem notitiam habent Processus Anglicani, quales quantaeque soleant esse querela de corruptione testium, quorum testimoniiis reus oneratus etiam sine confessione condemnari solet. Haecenus ille.

V.

Non facile
decerni
debet quæ-
sio.

Quam vero plane tolli posse jubente Principe persuasus sum quaestionem, eam nunc quoque, ubi Legibus usus ejus approbatus est, non facile decerni & fere nunquam dictari debere puto, nisi ubi Constitutiones jubent, necessitas exigit, aliaque deficit veritatis eruendæ causa. Ut cum Pio BRUNNEMANNO (a) vix ullam graviozem existimem deliberationem institui, quam ubi agitur de tortura infligenda. Qua in re mirari licet, inter JCtos & inter Collegia Juridica, quæ iisdem Legibus reguntur, tantos superesse dissensus, ut ubi vix alius juramento onerandum reum censeat, alius torturæ locum

(a) Pr. Crim. C. VIII. n. 1.

cum sine dubitatione relinquat, ac ubi unus territionem verbalem aut realem vix & ægre admittit, alter pro summo, aut qui ei proximus est, gradu tormentorum sententiam non dubitet pronunciare. Tantum etiam in his, qui eodem Jure utantur, & pari pollent legum peritia cujusvis natura, ingenium, humanitas, severitas, imbecillitas denique communis valet, ut optabile sit, minus in his Judicum tam incertis arbitriis esse relictum. Qua in re cum & qui mitior lege est, & qui durior, perinde peccet, gravius tamen errare videtur, qui nimium quam qui parum propendet in torquendi facilitatem. (b) Sed de fallacibus indicis torturæ prolixior disputatio est & justius opus Voluminis, mihi eo nunc integrum non est digredi; id tamen fas sit ingenue profiteri, vix mea sententia excusari posse ab intempestiva severitate eos, qui locum quæstioni relinquunt *in delictis levioribus, in causis etiam civilibus, & ubi per confessionem ne quidem ab ea quis se liberare potest.* Quare licet *causis civilibus.* CARPZOVIVS existimet *Pr. Crim. P. II. qu. 86. n. 25.* eum, qui thesaurum inventum occultat, ad indicandam ejus quantitatem per quæstionem posse compelli, vix tamen est, ut eo casu admitti illam debere credam. Qui enim liberabit se inventor a carnifice, si vel maxime veram profiteatur auri reperti summam, cum avidus accusator ex facta ad initium quæstionis confessione colligat, longe majus confitentem invenisse pondus. Itaque &

(b) In hos invehitur NICOLAI *Diff. p. 41.* atque tandem addit difficiliore deinceps fore Judices in decernendis tormentis, *si antequam Judicis quis admoveatur officio, vel per dimidiam saltem quadrantis hora partem ipse quæstionibus fatigetur, ut quanta vis vis insit, intelligere, ac in insurgendis illis expendere possit.*

& qui vera & qui falsa fatetur, torquendus erit simpliciter & sine exceptione, & illa demum quantitas reperta censebitur, quam tortus probe & ad modum in sententia expressum se invenisse dicet, nullum ut miseris hoc in casu superfit solamen, quam ut plane nihil quicquam se reperisse asserant, cum & vera professis & falsa dicentibus idem tormentorum exitus fit, nec ingenua veritatis asseveratio tormentis confitentem subducat. Atque ita puellam vix XIII. annorum recordor, cum terrore verbalis ab Ordine Juridico Lipsiensi Ao. 1713. M. Nov. hunc in finem adversus eam decreta esset, ut pecuniæ, quam confessæ erat se invenisse, indicaret pondus, constanter asseverasse, se nihil invenisse. Perinde

neque in delictis, quorum pœna corporis non est afflictiva, quorum pœna corporis non affligit.

in delictis, quorum pœna non est afflictiva, ut loquimur, afflictiva, crudele videtur tormentis quemquam subjicere. Quis enim dubitet, gravius esse illa pati, quam ex patria migrare & domicilium mutare. Cumque Saxones eas solas causas criminales Peinlich dicant, quorum pœna aut mortem infert, aut corpus afficit, die an Haut und Haat gehet / quis existimet in reliquis, quas Peinlich esse negant, eos tortoribus voluisse locum relinquere. Frustra vero CARPZOVIVS Pr. Crim. qu. 119. n. 52. alii que excipiunt primum illum tormentorum gradum, quo pollices vehementer comprimuntur, quem territionem realem & præludia torturæ vocant. Namque his quoque satis doloris inesse, ac ipsum tormentorum metum & incertum exitum gravius relegatione malum esse puto. Quare licet CARPZOVIVM alii sequantur, Scabini Vitembergenses eum dudum reliquerunt, quod ex rationibus decidendi colligo M. Sept. 1713. dat. in c. N. N. ex quibus addo, quæ ad rem præsentem pertinent. Ita vero

vero illi: Insonderheit aber wohl zu consideriren gewesen / wie die denuncirten facta dergestalt beschaffen / daß wenn gleich Inquisit derselben geständig oder übersühret wäre / er dennoch mit einer Leib- und Lebens- Straffe nicht zu belegen / und solchemnach auch ein remedium eruendæ veritatis, so schärffer als die auff das delictum gesetzte Straffe / alhier nicht statt finden können. Imo parum abest, quin SCHILTERO *Ex. 49. §. 167. & OLDEKOP. Dec. I. qu. 1. assentiam*, qui ictum quoque fustium torturæ æquare negant gravitatem, cum ipsæ leges manus amputatione eam acerbiozem censeant. *arg. Nov. CXXXI. c. f. & fere in capitalibus tantum delictis usum ejus admittere videantur.* Saltem si de tortura, quæ territioni opponitur, sit quæstio, aut gradibus ejus gravioribus. Quamvis in his facile patiar, suo quemvis abundare sensu, cum uti de gustibus, ita de gravitate & proportione pœnarum non possint hominum consensiones expectari aut disputatione controversiæ finiri. Eum quoque, qui jam supplicium ultimum meritus est, si de atrociori simul scelere suspectus sit, non existimaverim, facile torquendum esse. Durum videtur eum in finem adhibere tormenta, ut acerbioze supplicio pereat, cui moriendum est. De quæstione in socios & ob confessionem ab alio in tormentis factam nihil addo, neque enim id ago, ut abusus omnes torturæ exponam; de quibus alii egerunt ex instituto.

VI.

Sed & cum fragile & fallax remedium torturam *Crudelitas* esse omnes fateantur, danda opera est, ne eum in modum tormento-
crucientur acculati, qui omnem hominis patientiam excedat. rum im-
 Vix dici potest, quam ingeniosa in excogitandis tor-*probatur.*

C

quendi

quendi artificiis tyrannorum olim crudelitas fuerit, quam barbara & inhumana quæstionum genera adhibuerint, quæ vel recensere nefas puto, utinam nusquam earum memoria exstaret! Etenim nihil facilius est, quam vincere patientiam hominis exquisitissimis doloribus, quibus nemo est, qui non tandem succumbat: Nam & robustissimorum vires frangit tempus & exasperatio & intentio quæstionum, ut multis laceratus & fatigatus modis tandem, quicquid roget, qui quærit, pertæsus vitæ affirmare cogatur. Quorsum vero attinet extorquere confessionem per tormenta, quæ neminem negare aut filere patiantur? Nonne satius est statim necare homines, quam ita affligere, ut post exquisitissimos dolores in morte ipsi solatium quærant. Sane hanc in summis & vires humanas omnino superantibus doloribus expressam confessionem nemo magni ponderis puto æstimaverit. Convictos de scelere etiam non confessos quid impedit merito perire supplicio, reliquos tamdiu excruciare, donec fateantur, & *his modis, quibus nemo par esse possit*, barbarum est & injustum.

VII.

*Tormenta
non facile
repetenda.*

Atque eam etiam ob causam ut propius accedam ad quæstionem, quam imprimis in præsentem excutendam mihi sumsi, *repetitio tormentorum odiosa merito & suspecta habetur*, cum & firmissimum quemvis frangat perpetua doloris duratio & cruciatus sine fine. Barbara fuit illa Romanorum in servos crudelitas, qua flexies, octies & amplius eos torserunt, & quod vix credibile videri poterat, ita etiam crimen pernegantes nihiloscius interfecerunt. (a) Itaque quamvis torturam
repeti

(a) *Valer. Max. L. VIII. c. 4.*

repeti posse & *Modestinus l. 16. ff. d. quasi. & Ordinatio Carolina art. 57.* doceant, in infinitum tamen extendi illa licentia nequit. Nam in torquendo tam diu perseverare, donec reus confiteatur, est ipsam spem salutis adimere miseris, & crudelius longe quam necare innocentem. (b) Sed quousque tamen id possit fieri, non adeo expeditum est, ut Judicis arbitrio fere relictum videatur. Sane si nova indicia deficient, & reus in tortura innocentem se esse sustinuerit, omnino repeti torturam posse nego. *Antonius MATTHÆI sentit aliter l. c. Cap. IV. n. 14.* Cui facile ego dederim, Romanos in mancipiis alio jure fuisse usos. Neque affirmare ausim, publica lege hanc repetitionem prohiberi, cum *Ordinatio Criminalis art. 58.* verb. *viel / offte x.* in repetenda quaestione nova indicia non requirat. Mores tamen Germaniæ, usus fori & æquitas pro mea sententia militant. Neque enim quisquam torquetur, nisi prævia Jurisprudentum sententia. Itaque non nisi semel torqueri potest, cum non soleant Collegia Juridica, reum sæpius torquendum esse, una sententia respondere, ac vix in gravissimis criminibus ob evidentissima indicia summum tormentorum gradum admittant, tantum abest, ut unquam reperita tormenta eadem sententia exigant aut concedant. Purgasse suspiciones & probasse præsumitur innocentiam, qui, quicquid tormentorum sententia exprefferat, sustulit. Ob eadem indicia denuo ne in Judicium quidem, ne dum in scalam trahi potest. Atque ita communiter sentiunt, vid. *STEPHAN. ad*

Imo nunquam sine novis indicis.

(b) *Quintilian. declam. 138.* cum repetas tormenta, cum reducas carnificem, quid aliud dicit, quam illud, torque donec mentiatur.

art. 58. n. 5. ZANGER. C. V. n. 12. FARINAC. qu.
XXXVIII. n. 88.

VIII.

nisi forte
non rite
habita fu-
erit quæ-
stio.

Quod vero dixi, tortum semel ob easdem causas non iterum torqueri debere, id de eo casu accipio, quo, ut plerumque fieri solet, sententiæ, quæ quæstionem fieri jubet, plene satisfactum est, atque eo modo, quo decreta erat, habita illa fuit. Nam si forte per imprudentiam Judicis territione reali aut primo quæstionis gradu solum defunctus sit, qui per omnia solennia tormentorum genera excruciarî debebat, is nondum diluisse indicia aut innocentiam suam Judici probasse censetur. Quo quidem casu, quod bene monet *Illustris BERGERUS* *Oecon. p. 1203. not. 5.* perficienda potius, quam repetenda est quæstio. Præcludia enim, quæ jam expertus rite reus est, non debent denuo institui, sed addi tantum ea tormentorum genera, quæ reus nondum fuerat expertus: ohne Wiederholung der Daumenstöcke oder desjenigen Grads, welchen Inquisit bereits aus- gestanden. Licet enim mitius cum eo agi videatur, qui per intervalla patitur, quæ uno eodemque tempore perpeti debebat, imprudentia tamen Judicis, qui sententiæ non satisfecit, efficere nequit, ut bis eundem sentiat dolorem reus, quem jam sustinuit rite. Itaque satius est, prodesse ei, quam nocere factum Judicis. In dubio enim, quod æquius & humanius est, sequimur, sequi certe debemus.

IX.

De repeti-
tione ob
nova indi-
cia.

Sed hæc obtinent, si nova deficient indicia. Jam quid, si subnascantur illa, obtineat, paucis attingamus. Dum *nova* dico, intelligo *diversa* ab iis, quæ jam ante reum

reum oneraverant, reddiderantque suspectum. Eorum enim nulla amplius habenda est ratio, neque ea cum subnatis jungenda sunt. Sed nec nova ea esse sufficit, *evidentiora* etiam esse oportet, quod disertis verbis *JCrus l. 18. S. 1. ff. d. Quæstion.* postulat. Itaque talia requiruntur, *quæ per se contra alium quemcunque eundemque neutquam alias suspectum ad torturam sufficiunt*, imo prope modum etiam *majora*. Nam & præsumtio innocentia, quæ ex tortura oritur, & odium repetendæ quæstionis, & lex ipsa graviora & evidentiora postulat. Ut ne quidem ad minorem gradum tormentorum denuo infligendum ea sufficere existimem. Nova eademque graviora, & ad repetendam quæstionem & ad augenda etiam interdum tormenta sufficiunt, puta si leviora multo fuerint indicia, ob quæ ante torquendi initium carnifex fecerat, & plane ab iis, quæ deinceps suborta sunt, diversa. Sicuti enim hæc efficiunt, ut ab eo, adversus quem lata de quæstione sententia est, si dum defensionem parat, subnascantur, exquisitioribus etiam, quam decretum initio fuerat, tormentis explorari veritas possit, & augeri, quem declinare ille cupiebat, quæstionis gradus, (a) ita & ut reducatur tortor & repetatur quæ-

C 3

fio,

(a) *Ita F. J. W. 1712. M. Julii* respondit: Obwohl die im vorigen Urtheil wider Inquisiten / Johann Peter Duggen angeführte indicia allerseits nur pro remotioribus zu achten / demselben auch deswegen nur die bloße territio verbalis oder Vorstellung zuerkandt worden / im solchen Fall aber eine Sentenz nicht leicht geändert / und dem Inquisiten ein höherer Grad der Peinligkeit zuerkandt zu werden pfleget. D. A. D. nachdem bereits voriges Urtheil eingehohlet gewesen / sich von neuen unterschiedene indicia wider Inquisiten ereignet / indem

fio, præstant, modo, quod mores postulant, idonea ea Jctorum sententia ad repetenda tormenta judicaverit, quæ & modum & finem torquendi definit.

X.

Quousque
repeti tor-
menta
possint?

Jus Saxo-
nicum.

Neque tamen hic quoque progressus datur, ut Phosphorum utar sententia, in infinitum. Plus tertia vice repeti tormenta non posse, communis vox est Jctorum. THEODOR. *Cap. IX. aph. u.* FARINAC. *qu. XXXVIII. n. 96.* Cui sententiæ licet leges, ad quas provocant *l. 13. §. ult. ff. d. damn. insect. l. u. §. 18. ff. d. Legat. 3.* parum præstent præsidii, ratio tamen sua omnino constat. *Jus Saxonicum Electorale* ne tertia quidem vice patitur carnificem reduci, nisi in gravissimis criminibus. In reliquis eum, qui bis tortus, negare objectum facinus perfitit, arbitraria pœna afficere, non revocare ad equuleum jubet. Ita enim cavet *constitutio Novissima Augusti*, quæ in *Appendice Corporis Saxon.* occurrit *p. 72.* & imedita vulgo dicitur, vi tamen & auctoritate Juris non destituitur. Eam integram addo, ne si summam tantum ejus dederim, sententiæ quicquam detraham, aut omittam quid eorum, quæ ad rem pertinent: Damit disfalls in Rechten zu erkennen / auch eine Gewisheit sey / haben sich unsere Schöppenstühle folgender Meinung verglichen / daß in etwas geringen Mißthaten / so zu Recht nicht atro-

Inquisit nicht allein zu zweyen mahlen mit Erbrechung des Gefängnisses sich mit der Flucht zu salviren gesucht / sondern auch / als er das letzte mahl wider zur Hoffit gebracht worden / man bey ihm zwey Dietriche gefunden / und die eydlich abgehörte Zeugen sub. n. act. 5. ihn durch ihre Mißsage / insonderheit ad art. 4. 6. 10. 18. und 19. nicht wenig graviret.

atrocissima delicta genennet werden/ als Diebstahl und dergleichen/ jedoch wann allezeit neue indicia, die von den ersten/ darauff der Gefangene angegriffen/ abgeschieden sind/ vorhanden/ die peinliche Tortur nicht über zweymahl zu erkennen und zu wiederhohlen sey. Und wo gleich zum drittenmahl neue indicia vorfielen/ daß dennoch die Tortur nicht fürzunehmen/ sondern daß ein solcher auff geschwornen Urpfeiden mit zeitlicher Verweisung oder Gefängniß gestrafft werden solle. Wann aber die Anklage atrocissima delicta, Mord/ Brand/ Raub oder dergleichen betrifft/ und allezeit nach der Tortur neue indicia, quæ suo genere distant a prioribus, fürfielen/ daß disfalls alleine zum drittenmahl und weiter nicht die Tortur zu repetiren; Und obgleich darnach auch andere neue separirte Indicien könten dargethan werden/ daß doch der Gefangene mit der Tortur zu verschonen/ und ihme sonsten die Verweisung oder andere Straffen solten aufgelegt werden; Bey welchen allen wir es auch verbleiben lassen/ und sollen demnach unsere Schöppenstühle dergestalt sprechen und erkennen. Hæc lex, quod dixi, in solis gravissimis delictis triplicem quæstionem admittit, neque in his nisi ob nova, quæ suo genere distant a prioribus, indicia. Quæ si deficient, non puniendus reus est, sed sine coërcitione probata per quæstionem innocentia dimittendus. Miror ergo, Scabinos Lipsienses ob solam patientiam in ferendis doloribus relegationem perpetuam fœminæ de veneficio suspectæ dictirasse. Exstat apud CARPZ. sententia Pr. Crim. qu. CXXV. n. 78. So hat wegen der dritten Tortur, weil die vorige indicia in der anderweit ausgestandenen scharffen Frage purgiret worden/ nichts beständiges erkandt werden mögen; Sie wird aber gleichwohl gestalten Sachen nach/ über die zum andern

Pena arbitraria quoque, de qua Const. El. cavet, locum non habet, nisi ob indicia nova.

mahl

mahl erlittene Tortur, weil gleichwohl vermuthlichen / daß es ihr / der Bettel / vom Teuffel muß angethan seyn worden / daß durch die Pein und Marter von ihr nunmehr nichts hat bracht werden können / und damit man ihr aus diesem Lande loß werde / und die Leute zu Grillenberg für sie weiter nichts zu befahren / des Landes ewig billig verwiesen. *B. R. W. Quis enim credat, constantiam solam & obdurationem animi facinus esse relegatione dignum? Quis ad Diabolum causam referat patientis licet singularis? Quid illi de priscis servis dixerint Romanorum, qui in plures dies tormenta sustinentes succumbere & expirare, quam loqui maluerunt? Aut qui eum discernere fas erat questionis gradum, quem absque demonis mali auxilio, qui discernant, sustineri non posse, crediderant?*

XI.

Quæ diximus, ad repetitionem quæstionis, qua ob indicia recens nata, qui jam perpeßus est, & constanter crimen objectum pernegavit, denuo afficitur, pertinent. Videamus nunc, an eadem illorum ratio sit, qui torturæ vim sustinere non valentes, confitentur in tormentis, se commisisse facinus, ac paulo post, strenue infitiantur, quæ facti fuerant metus & dolorum, quibus impares se fuisse dicunt, exceptionem allegantes. Scilicet constituti Juris est, confessionem a carnifice extortam ad condemnandum reum non sufficere, nisi solutus metu in confessione perseveret, ac denuo interrogatus remoto tormentorum apparatu crimen fateatur. Ratificationem vocant hanc repetitam confessionem, sine qua ad definitivam sententiam non potest perveniri. Negant etiam statim hoc examen suscipi debere, ne recens summi doloris memoria turbet accusatum, ac eodem metu

de Ratificatione.

metu futuræ quæstionis videatur repetere, quæ ob præsentem dolorem paulo ante dixerat tortus. Alii tamen nec differri diu debere ratificationem contendunt, ne immemor ac oblitus plane quæstionis reus spem salutis in revocatione ponat, ac denuo discrimen subire nihil dubitet, cujus sensum & recordationem jam amisisse se intelligat. Unde intra triduum eam fieri vult *Lauterbachius*, (a) sine lege tamen aut idonea legis ratione, a qua sententia recedere *Ordo Jctorum Vitembergensium*, hoc ipso anno non dubitavit. Judicis arbitrio locus esse videtur in argumento, ubi non una est omnium reorum ratio. Namque alii adeo formidolosi sunt, ut ad solam mentionem torturæ horreant, neque tam facile memoriam exuant cruciatuum tolerantium, centiesque mori præoptent, quam iterum periculum constantiæ suæ facere: alii statim remoto tortore cum ipso sensu doloris omnem metum ejus exuunt, atque vix vinculis soluti de revocandis iis, quæ professi fuerant, incipiunt cogitare. Quodsi ergo contingat, tortum & confessum negare, quæ antea dixerat, qua ratione adversus eum Judex contendere, atque an & quousque denuo quæstionem ei dictare possit, expendendum est. Quamvis hæc apud nos deliberatio magis ad Jctos pertineat, quam ad ipsos Judices. Hi enim si reus neget, quæ affirmaverat in fidiculis, non solent adversus ipsum quicquam statuere, antequam illos in consilium adhibuerint. Itaque an denuo mittendus sit in equuleum reus, atque ad quem gradum torturæ iterum perveniri possit, Jcti determinant. Judex Judicium eorum sequitur, & in eo acquiescit. Alibi latius officium & potestas Judicum patet.

D

Sed

(a) LAUTERBACH. *Comp. Jur. h. t. p. 713.*

Sed æque tamen ac Jurisperitorum arbitrium Legibus & Legum argumentis convenire debet, quæ quid imperent, quid permittant, operæ pretium est plenius explicare.

XII.

ob infra- In eo omnes conveniunt, aut plerique certe *rursus*
tionem re- *subjiciendum tormentis esse, qui in iis non negavit crimen, &*
peti tor- *postea innocentem se esse asserit FARINAC. Qu. 38. n. 91.*
menta *MATTH. d. Crim. ad h. t. Cap. 4. CARPZ. Pr. Crim.*
posse, vul- *qu. CXVI. n. 62. PEREZ. Cod. h. t. n. 26. ZANGER. C.*
go recte *V. n. 75. BEYER. ad Art. 54. sqq. pos. 17.* Ex quibus, li-
quidem, cet idoneam non allegent rationem, qui aut variatio-
sed non nem rei urgent, aut confessionem in tormentis expres-
idoneis ar- sam, quam vim habere semiplenæ probationis, & no-
gumentis vum indicium præstare censent, ipsa tamen Criminalis
asserunt. Sanctio eorum opinionem satis tuetur. Hujus enim
Ord. Crim. art. 57. cautum est, reum post confessionem inficiantem
art. 57. id denuo torqueri debere. Accedit quod priora indicia
limitat. purgasse videri non possit, qui in tormentis innocentiam non sustinuit sed confessus est, de quo interrogabatur. Addit tamen exceptionem cit. Art. *si errore se lapsus Judicis probare tortus possit.* (a) Quorum verborum vim vix me assequi lubenter fateor. Nam si voce des *Infalls* doloris vim intelligas, quæ mentem turbaverit confitentis, non difficile erit allegare hanc exceptionem, ad quam omnes, qui post tormenta negant, quæ in iis affirmaverant, solent confugere, difficillimum, imo impossibile

(a) Es wäre denn / daß der Gefangene solche Ursache seines Leugnens fürwendete / dadurch der Richter bewegt würde zu glauben / daß der Gefangene solche Bekändniß aus Irrsal gethan.

possibile erit probare. Sin errorem facti proprii requiras, vix poterit homini sana mente prædito obtingere, ut per errorem se deliquisse putet, & vel imaginetur. Quodsi ad circumstantias, quas rei addunt, dum commissi facinoris ordinem exponunt, hæc referas (b) art. 55. obstabit, qui eo quoque casu, si illæ vero non fuerint similes, revocationem tortoris, etsi in confessione reus subsistat, admittit. Sed de hoc casu, qui haud facile contingit, nunc adeo non sum sollicitus, (c) quod reiterationem ille torturæ aut excludat aut suspendat. Itaque ad eam, quæ sine causa probabili fit, infitiationem revertor.

XIII.

Dedi tormentorum repetitionem ob hanc locum ^{infinitio} habere. *Id contra dare nequeo, si nova haud accedant non efficit, ut augeri indicia, intendi etiam & augeri dolores debere.* Confessio in tormentis facta, eamque secuta infitatio, nec prodest nec obest mea sententia reo, neque ad minuendum ^{tortura} que ad augendum ^{gradus de-} torturæ gradum facit. BRUNNE-
MANNUS ^{beat.} levio^{re}m etiam ^{infinitio} quaestionem alteram esse debere opinatur C. VIII. n. 88. quod plerique vix admittent. Ego una regula rem definiri posse nego. Prudentis Judicis erit expendere, an statim reus confessus fuerit, an demum multo fatigatus dolore? An indicia gravia adfuerint, an leviora? & reliqua, quæ confessionem & infitia-

D 2

(b) huc illum articulum referre videtur BRUNNEM. Pr. Crim. C. VIII. m. 5. n. 85.

(c) forte sensus hic est illius articuli: tortum, si probabilibus saltim argumentis innocentiae suae fidem Judici fecerit, & falsa (aus Zrsal) se confessum esse dicat, ad probationem ulteriorem innocentiae admittendum esse.

infirmitatem circumstant. Sane si qui primam decreverunt quæstionem, ob indicia remotiora majorem, quam fas erat, tormentorum vim admiserint, religioni Judicantium non obstabit, aut sententia prior aut confessio rei in tormentis facta ejusdemque revocatio, quo minus illos dolores minuat atque molliat. Usque adeo ut & plane omissa quæstione ad juramentum purgatorium admitti posse credam, reum, qui impar ferendis tormentis fuit, si indicia diluat, quibus Judices ad decernenda ea fuerant commoti.

XIV.

Si reus bis, tortus iterum fateatur, sed abnuere, mox rursus infirmiter, an tertium torquendus sit?

Jam fac ita *revocatum ad tormenta, fateri* denuo, & quicquid roget tortor, affirmare, *eundem*, ubi remissa quæstione & cessante metu sui Juris esse incipit, *rursus abnuere* & innocentem se profiteri, *eumne iterum* atque tertia adeo vice *licitum erit torquere?* *Affirmant* haud pauci *Jul. CLAR. qu. 21. n. 36. BRUNNEM. l. c. n. 87. Ant. MATTH. b. C. IV. n. 12. FARINAC. qu. 38. n. 99.* & quos illi allegarunt. Ego Legibus ea de re definitum nihil invenio. Neque ad has provocant, qui asserunt. *Ordnatio Criminalis* ad primam repetitionem pertinet, non ad ulteriorem. Ad quam si restringere nolis, non video, cur non post quartum aut quintum torturæ periculum, qui ea, quæ confessus erat, infirmiter, perinde salva Lege hac torqueri queat? Neque enim de vice tertia illa quicquam cavet: neque aut usque ad eam repetitas quæstiones admittit, aut post eam prohibet. Jus Civile quoque hac de re nihil disponit. Quo ratificatio, quam nos requirimus, ne in usu quidem fuisse videtur. Quæ de repetendo in quæstionem reo *l. 18. §. 2. ff. d. Quæst.* scripta sunt, non ad confessum pertinent, sed ad

ad eum, qui in tormentis constanter facinus negavit, ob evidentiora argumenta iterum torquendum. Quod ad *Saxones* attinet, non dubitaverim, Constitutionem, cujus supra a me facta est mentio, ad hoc etiam argumentum proferre, ut si crimen sit atrocissimum, & indicia plane manifesta, tertium carnifex reduci possit, in aliis delictis aut ob indicia non omnino gravissima non æque. Quamvis enim Sanctio illa potissimum de repetenda quæstione adversus eum, qui innocentem se esse sustinuit, disponat, in argumento tamen, ubi expressa lege destituimur, licebit omnino rationem & auctoritatem ejus ad casum non prorsus dissimilem extendere, cum non omnes quidem, potiores tamen rationes, quæ in illo casu obtinent, hic quoque locum habeant, disparitas criminum, odiumque multiplicandorum tormentorum. Quod miror Saxonicos quoque JCtos quosdam non attendere, & ob infitiationem facti sine casuum discrimine tertium repetendam admittere quæstionem.

XV.

Utcunque fuerit anceps, supereff & dubia admodum disputatio, quid faciendum sit, si aut tertia, aut ubi ad eam perveniri non potest, secunda vice torturam passus, & in tormentis factus, denuo impatientia doloris se mentitum esse asserat, neque in facta confessione perseveret? In infinitum res illa produci non potest. Quid enim fiet, si quæ asserit hodie, cras neget reus, & ita mutatis vicibus carnifici negotium faciat, dimitendus, ut iterum crucietur, cruciandus, ut iterum dimittatur. *Alii* damnandum reum dixerint: *alii* denuo subjiendum tormentis, & ea quidem lege, ut aut con-

fessionis amplius ratio nulla habeatur, aut infitiandi ei facultas adimatur? *alii* puniendum extra ordinem, *alii* absolvendum omnino volunt, in quo vim suam omnem perdat tortura. Habes plures sententias. Elige quæ placeat. Ego nunc magis etiam inter tot opinionum divortia, quo me vertere debeam, nescio. In omnibus opinionationibus, quod desiderari possit, invenio. Sententiam, quæ expedita sit, juriq; eadem & æquitati conveniens, dubius etiam quam antea magis frustra quæro. Sed singulas expendere fas est penitius & ex instituto.

XVI.

Alii ordinaria pœna inficiantem asserendum censent.

Primum ergo cum iis nobis res erit, qui reum in quæstione scelus confitentem, sed postridie negantem *ordinaria pœna criminis puniendum esse putant.* Fuere in ea *Scabini Lipsienses* olim sententia CARPZOVIO teste *Pr. Crim. qu. 126. n. 55.* & quod magis miror, fuit etiam HUBERUS, qui *Curiam Frisie* ita sentisse refert, & eorum calculo suo Judicium approbat. *Accidit, inquit Jctus Celeb. ille casus apud Curiam in reo, qui pagum Frisie Collumanum, e quo incolæ, metu hostium Groningam obsidentium anno 1672. aufugerant, incendiisse credebatur, ut aliquot domus consumerentur. Callidus & Juris non ignarus homo, ita ut dictum, in quæstione instituerat, ea via sibi parans absolutionem. Bis confessus, bis revocaverat. Argumenta erant fortissimæ presumptionis, nec Judices de facto dubitabant, confessiones ejus cum circumstantiis, de quibus constiterat, optime conveniebant. Visum est prudentissimis Dominis esse condemnandum hominem, qui viam alioqui paratam quæstionibus eludendis & promiscuam invenerat: Ac interjectis paucis de CARPZOVII sententia tandem addit: Plane*
si mul-

si multorum gravium virorum Judicium ex præsumtionibus & indiciis acquiescat in credendo reatu, probatione licet non perfecta, hanc sententiam sequi licebit. de Jur. Civ. Lib. III. Sect. 2. c. 4. §. 40. Eadem & iisdem plane verbis repetit ad ff. b. t. §. 11. Dura fateor & inhumana sententia, & quæ ab humanissimo Jcto vix expectanda erat. Romanorum olim in servos ea fuit crudelitas, ut sæpius tortos & culpæ se reos constanter negantes, tanquam confessos damnarent, quod Alexandro contigit Fannii servo, quem sexies tormenta perpeßum nulla extorta confessione in crucem a Calpurnio actum fuisse VALER. MAXIM. l. VIII. c. 4. n. 2. refert. A qua severitate parum absunt, qui confessos quidem, sed confessionem statim revocantes, condemnant, imprimis cum confessionem in tortura factam sine ratificatione nullius momenti esse fateantur, aut tacitam saltem ex silentio perseverantiam colligant & requirant, vid. HUBER. d. Jur. Civ. l. c. §. 39. Quis vero Hubero dederit credulitatem Judicum sufficere ad hominem interficiendum? Si multorum, inquit, gravium Virorum Judicium ex præsumtionibus & indiciis acquiescat, in credendo reatu hanc sententiam sequi licebit. Itane Judex, ubi de vita hominis agitur, credulitate sua niti poterit? Ex præsumtionibus & indiciis necare deficiente plena probatione? Ita vero imposteriorum plures absque tormentis etiam puto ultimo sine mora supplicio afficientur, imo omnes, quotquot valde Criminis sunt suspecti. Neque enim facile in quæstionem dantur, nisi quos reos Criminis esse credunt Judices & fere præsumunt. Neque puto minus suspectum Curia Belgicæ, quem damnavit, fuisse, antequam in quæstionem missus esset, quam postquam, quæ in tormentis

tis

tis confessus fuerat, negavit. Miseros vero homines, quorum innocentia, vita salusque ab opinione & præsumptione Judicis pendet. Jus nostrum non patitur ob suspiciones quemquam necari, neque integrum est Judici, juxta scientiam aut conscientiam suam sententiam dicere, nedum juxta probabilitatem, in criminali præferta causa & capitali Judicio, quale erat, quod memorat HUBERUS in homine de incendio accusato.

XVII.

Proxime absunt ab hac HUBERI & priscorum *Scabinorum Lipsiensium* sententia, qui reum denuo per tormenta interrogare præcipiunt, admonitum antea, ut si nunc quidem iterum crimen confiteatur, nullam deinceps spem salutis in revocatione confessionis sit habiturus, sed nihilominus afficiendus supplicio, æque ac si confessionem ratam habuisset. Neque in terrorem hæc aut dicis gratia fieri volunt, sed confitentem deinceps damnari posse putant, nulla habita infitiationis ratione. In eo mitiores HUBERO, quod ille nihil tale expectantem etiam interfici patiatur, hi non nisi admonitum & gnarum conditionis occidi permittant, ut eludendi tormenta reo via præcludatur, idemque quantum dolor & imbecillitas patitur, secum constituere ac deliberare possit, utrum sua se jugulare confessione an sustinere quæssionem velit. Amplissimo *Jctorum Academiae hujus Ordini* quondam placuisse hanc sententiam video, (a) a quo tamen

Alii volunt denuo torqueri, ita ut confessio sine ratihabitione valeat.

(a) Illi enim Ao. 1714. M. Sept. ad interrogationem Præfæcti Bellicæ pronunciarunt: Daß an Inquisiten / daferne er nochmahls auff seinen Wiederruffen verharret / das vorige Urtheil (qua in tormenta reus dabatur) anderweilß gebührend zu vollstrecken / jedoch demselben ic. ernstlich anzudeuten / daß

tamen rigore deinceps illi recesserunt, neque post hæc unquam eam pronunciandi rationem secuti sunt. Et recte quidem mea sententia. Cum enim *Sanctio Criminalis art. 56.* in omni confessione per quæstionem extorta ratificationem eamque ex intervallo factam desideret, non video, qui hæc in ipsis doloribus aut metu quæstionis facta responsio eam vim habere possit, ut revocari nequeat.

E

queat.

im Fall er sein hiebevör gethanes Bekändtniß nochmahls gütlich wiederhohlen würde / sodann seiner darauff erfolgten Widerruffung ungeachtet die bereits erkandte Lebens-Straffe an ihm exequiret werden solle. Et post M. Octobr. cum confessus reus esset torturæ metu: Däß an ermeldten Inquisiten seiner Widerruffung ungeachtet das gesprochene Todes-Urthel zu exequiren. &c. vid. *Illustr. BERGER. Eleff. Crim. p. 246. sqq. Excell. WERNHER. Comp. jur. l. 4. tit. 31. §. 36.* Atque ea etiam hunc exitum sententia habuit, ut confessus, licet postea infitiaretur & in infitiatione persisteret, nihilo secius supplicio afficeretur. MOLLERUS quoque in ea sententia est *Semestr. L. III. c. 41.* qui Scabinos Lipsienses respondisse refert, *questionem denuo de eo, qui confessionem aliquoties revocaverat, habendam esse, quod si ut antea ad illam eludendam tum quoque delictum fateretur, pœnam capitalem, sive in confessione perseveraret, sive eam revocaret, executioni mandandam esse.* Nisi quod ex MOLLERO non satis appareat, utrum admonitionem, quam *Vitembergenses* requirebant, *Scabini olim Lips.* necessariam judicaverint, an vero absque ea etiam, ut Curia Frisæ apud *Huberum*, ultimo supplicio locum esse voluerint. Sed & *Scabini* iidem in literis ad Principem, quas *Illustr. BERGER* exhibet *El. Crim. p. 224.* illam pronunciandi rationem approbant & tuentur, nisi quod *p. 226.* Notarium & testes requirere videantur ad confessionem rei iteratam, quæ revocationi non amplius sit obnoxia, consignandam.

queat. Frustra vero MOLLERUS addit, *indicia etiam indubitata ad condemnationem sufficere*. Hoc enim admisso, neque confessione rei, neque tormentis opus fuerat. Neque firmitus hujus opinionis in geminatione confessionis præsidium alii collocant, cum utraque confessio coacta sit non libera, qualis requiritur ad mortis pœnam infligendam. Sed nec plus ponderis habet extorta hujusmodi confessio, si Notario præsentem & testibus adhibitis facta fuerit, & ea, qua par est, fide in tabulas redacta. Neque enim tortus præsentem Notario minus dolet, neque admonitio illa interrogationi ex intervallo & extra locum torturæ facta æquipollet. Neque causa apparet, cur non vice prima perinde hæc comminatio fieri debeat, ut repetitis quæstionibus careamus, aut cur tertia vice tortus absque ratificatione affici possit supplicio capitali, qui ex prima & altera confessione ob subsequitam infitiationem non poterat puniri.

XIIII.

Alii confidentem etiam torquere jubent.

Quamvis autem dura hæc sit, & LL. atque æquitati vix conveniens opinio, durior tamen multo illorum mihi sententia videtur, qui negantem concessa tortura iterum, & ea quidem lege, jubent subicere, ut si neget, siue fateatur deinceps, tamdiu torqueatur, donec sententiæ satisfactum, & ad illum usque gradum reus fatigatus sit, quem carnifici Judex permiserat. Ita *Fac. Jur. Francofurtensis*, cum fur bis tortus bina vice confiteretur delictum, idemque post revocaret iterum, pronunciavit, plene eum torquendum esse, ut in initio tormentorum delictum fateretur: es möchte Inquisit ja oder nein sagen / so solte man ihn torquieren / teste SCHULZ. in *Diss. d. reiter. Tort. C. III. §. 16.* Eodemque modo eundem

Ordin-

Ordinem censuisse in Crimine maritidii *Scabini Lipsien-*
ses referunt ap. III. BERGER. in *Electis Crim.* p. 229. *Dispa-*
ri eventu: namque fur ille repetita tortura constanter af-
 feveravit, se delictum commisisse & suspendio punitus
 fuit, foemina callidior, cum confitendo se a quaestione
 non liberari videret, maluit negare facinus, & innocen-
 tem se esse sustinuit. Idem pronunciandi modus Scabi-
 nis Lipsiensibus olim placuit, quod formula docet ap.
 eundem BERGERUM p. 228. Solte aber die Inquisition
 ihr Bekändniß vor dem Scharfrichter / ehe es zum würckli-
 chen Angriff kommet / abermahls / wie vor dessen / thun / sich
 der Tortur hierdurch zu entledigen / so wird sie des andern
 Tages außserhalb des Orts der Tortur / in Beyseyn der Ge-
 richts-Personen / und vor Notarien und Zeugen in der Gü-
 te / und ob sie dabey beständig verbliebe / befraget / und alles
 fleißig instrumentiret / da sie aber nochmahls wiederum aus-
 fallen / variiren / und ihr Bekändniß in der Güte nicht wie-
 derholen will / die Peinliche Frage an ihr / ungeachtet / ob sie
 gleich wiederum sich dazu vor dem Scharfrichter bekennen sol-
 te / wegen so öfftern Variation / und weil sie die indicia nicht
 purgiret / noch ihre Unschuld in Tortura erhalten / vollstret-
 cket. Neque dubitarunt illi modum hunc Principi com-
 mENDARE, quod in hoc casu extraordinario remedio etiam
 extraordinario opus sit, & ob mendacium aut inconstan-
 tiam & variationes inquisiti, nec confessioni nec revo-
 cationi ejus fides haberi possit. Itaque tormentis ex-
 primendam esse confessionem constantem, eamque
 quam inter ipsa tormenta reus faciat, & in qua ad fi-
 nem usque quaestionis perseveret, sive ad absolutionem
 sive ad condemnationem sufficere debere, ut ipsam ve-
 ritatem dixisse videatur, qui in ipsis tormentis, a quibus

confitendo liberari amplius non possit, aut neget, aut affirmet, se delictum admisisse. Neque displicuit ille eo tempore Scabinis Vitembergensibus, qui teste Eodem Illustri Viro p. 233. ea de re Principi consensum suum declararunt: Wir lassen aber derer Herren Schöppen zu Leipzig hierüber führende Meinung uns auch wohlgefallen/ daß wenn ein Delinquent zu zweyenmahlen durch solches Bekennen und revociren die Peinigung zu eludiren gesucht/ an demselben die Tortur/ er gestehet vor derselben etwas oder nicht/ vollstreckt werde. & reliqua. Imo & Ant. MATTHÆI de Criminibus Cap. IV. n. 12. jam video modi hujus eludendi reorum revocationes meminisse.

XI X.

At mihi, quod pace Celeberrimorum Virorum dixerim, multum hoc remedium a fine tormentorum, a jure, quo utimur, ab ipsa denique æquitate remotum esse videtur. Quis enim torserit confitentem? Christianos olim tyranni crudelissimi ita excruciabant, ut & confessos quicquid voluerant, nihilominus lacerarent, atque paratos mori & mortem palam expetentes, non minus quam negantes exquisitis doloribus conficerent. Inter Christianos autem quis ferat hunc, ut mitissime loquar, rigorem? Torquemus, ut confiteantur, reos, at confessum qui torquet, ultimum ei, quod in morte quærit solatium, eripit, & inter tormenta invitum cogit vivere. Ita vero torquetur miser, ut confiteatur, & confitetur tortus, & confessus torquetur, donec & confessus & tortus probe interficiatur. Jam si pati tormenta nequeat, & impatiens prorsus doloris summi sit, quod in gradibus quæstionum ultimis contingere in iis, qui tenerioris sunt & infirmioris naturæ, facile potest

potest, ad rabiem, furorem, insaniam, proprecidium, blasphemiam & quicquid suggerere desperatio & dolor acutus possunt, infelix adigitur, frustra Dei hominumque implorans fidem. Contra qui paulo firmioris sunt & magis robusti habitus, indolisque sagacioris, ubi vident se confitendo parum proficere, neque ad factam confessionem instrumenta quæstionum removeri, non possunt non in infitiatione præsidium collocare & strenue negare omnia, quæ confessi fuerant antea. Cum enim & negantibus & affirmantibus idem doloris finis proponatur, neque graviora patitur, qui innocentem se asserit, quam qui nocentem esse fatetur, stupidus putato, aut insanus fuerit, qui non post tormenta, innocens haberi & absolvi malit, quam post exantlata omnium cruciatuum genera tanquam noxius perire. Ita vero tortura non eruendæ veritatis, non eliciendæ confessionis, sed extorquendæ infitiationis evadet remedium. Ita pena incipiet esse contra Legum rationes, quæ neminem torqueri volunt, ne confiteatur. Sed fac denique dari, qui hebetioris sit ingenii, qui in confessione usque ad finem torturæ, quem constantia confitendi se accelerare sperabat, perseveret eum ne magis nocentem credis, quam ceteros, qui subodorati exitum crimen negabant. Stupidior est non deterior. Solet autem non raro inter dolores obtusa esse innocentia, malitia callida & ingeniosa. Quid vero si deinceps absoluta quæstione iterum revocet? Non minus incertus eris, quam fueras antea. Sed revocationem negas eo casu attendi. Tanto gravius est ob factam revocationem & confitentem torquere, & post torturam denuo revocantem occidere.

Satius fuerat statim revocantem necare, quam postea
& tortum & revocantem supplicio afficere.

XX.

*Alii infiti-
antem ab-
solvunt.*

Commemoravimus dura in reos confitentes &
confessionem revocantes suffragia, nunc mitiora vota se-
quuntur. Mitissima autem sunt illorum, qui plane ab-
solvunt hoc casu volunt, *tertium instigantes.* Communem eam
esse dicit sententiam BRUNNEMAN. *Cap. VIII. n. 86. &
Farinacium, Gomezium & Martinum Delrio allegat testes;*
Et GOMEZIUS sane eam rationem allegat, quod qui *ter-*
confessa revocat, non tam criminis conscientia confessus vi-
deatur, quam impatientia doloris, & evitanda sit infinitas
in actu tam odioso & præjudiciali Var. Resol. L. III. c. 13. n.
24. Benigna sane & digna pietate Brunnemanni sen-
tentia! Sed mitiorem, quam par est, plerique puto dicent
& paratissimum omnem torturæ usum eludendi reme-
dium. Ita enim futurum est, ut omnes illam elabendi
viam nocentes & innocentes æque sequantur. Fatean-
tur illico admoto tortore, mox remoto eodem infitien-
tur, idem faciant, dum repetuntur tormenta, sed & ite-
rum deinceps negent, atque ita post triplici vice factam
confessionem & revocationem impunes discedant. Ita-
que *Ant: MATTHÆI Cap. IV. n. 12. & HUBERUS ad ff. b.*
t. §. ii. in ignaro tantum illius Juris & bona fide absque
dolo ob vim metus titubante hanc inconstantiam abso-
lutionem volunt mereri, non æque gnaros hujus rei &
callide confitentes, quod mox revocent, eodem præfidio
uti. Sed quis gnaros ab ignaris, callidos ab ingenuis digno-
scat? Sane quo quis impatientior doloris est, eo citius
mox iterum revocandam edit confessionem. Hunc gna-
rum moris & data opera confiteri facile Judex arguet.
Frustra

*saltem si
de dolo
non sit su-
spectus.*

Frustra tamen sæpe. Contra callidi & gnari illius rei facile ignorantiam simulabunt: Itaque incertus eris & dubius, nisi forte existimes etiam super ignorantia aut scientia Juris illius torqueri debere revocantes. Sed & ignorantium ita melior erit, quam eorum, qui leges sciunt conditio, cum horum tamen non minor possit esse, infirmitas & innocentia. Scivit hoc ita obtinere tortus sed si ignorasset tamen forte non minus & confessurus fuerat & revocaturus. Itaque & illa humanissima BRUNNEMANNI sententia & quam circa eam alii adhibent limitationem, suis æque dubiis & incommodis laborat.

XXI.

Venio jam ad magis communem Doctorum opinionem, quæ CARPZOVIUM habet patronum, quem in criminalibus causis plerique sequuntur. Is ergo tertio vel secunda vice, quæ factus fuerat, infitiantem extra ordinem puniendum esse contendit, eamque sententiam Scabinos Lipsienses quotidie secutos suo tempore testatur, & Constitutionis Electoralis ineditæ auctoritate niti existimat. (a) Nam licet illa de repetitione torturæ agat, quæ adversus perpetuum tormenta ob nova indicia decernitur, trahi tamen huc absque incommodo & referri posse, cum, quæ ob nova indicia repeti nequeat, multo minus ob eadem sæpius decerni debeat. Addit revocantem ob variationem semper novum argumentum ad torturam præstare, adeoque hanc etiam repetitionem ob nova indicia fieri. Quo argumento uti ego nolim uti, ita alios video non admittere, quam inferre ex hac lege cupit CARPZOVIUS consecutionem, & ego quidem non difficulter admiserim. Illi aliam dicunt ejus esse

(a) in ead. sententia est SCHULZ l. c. §. 3. §. 17.

esse rationem, qui jam perpeffus bis est quaestionem, aliam ejus, qui ne pateretur, confessus est, ne tanquam confessus puniretur, revocavit. Unde & *Scabini Lipsienses & Vitembergenses* apud Ill. BERGERUM eo, quem supra indicavi, loco p. 225. & 236. negant de hoc casu Constitutionibus Electoralibus quicquam caveri. Vitembergenses etiam addunt, daß was von Wiederholung der Tortur in der Constitutione Electorali Sax. non edita disponirt / anhero nicht zu ziehen sey. Utcunque fuerit de rationibus a CARPZOVIO allatis, sententiam tamen ejus, quod dixi, plurimi sequuntur. Ipse HUBERUS, cujus duplicem jam circa caput hoc opinionem retuli, tandem subjicit: *Si minor sit evidētia, tutius erit reum extra ordinem puniri.* Idem BODINUS tuetur ad l. 8. *Cod. d. quaestion. th. 62.* qui id limitat, *si reus jam capitale crimen fuerit confessus*, quo ego casu vix ad torturam perveniri ob indicia gravioris criminis, sed statim capitalem sententiam ferri debere, supra dixi. Neque in alia fuisse sententia videntur Ordinarii Jctorum Vitembergensium Præsides, ZIGLERUS, STRAUSSIVS & Illustris BERGERUS. vid. Dissertat. illius de Tortura Cap. ult. *Strauff. d. revocatione delinquentium* Cap. III. th. 7. seqq. & *Berger. ad Lauterb. p. 865. add. Lauterbach. Coll. theor. pract. ff. h. t. §. 61.* Sed & Collegia Saxonica hoc in argumento CARPZOVIVM sequuntur. Saltim, quod fide Præsidis refero, hoc ipso anno M. Septembr. Facultas Juridica Vitembergensis in eandem sententiam pronunciavit.

XXII.

Quæ sententia du-

Non desunt, quæ contra hanc quoque hypothesin dubia possunt urgeri. Durum aliquando hoc, interdum &

& mitius, quam par erat, remedium esse videtur. Aut enim quem extra ordinem punimus, criminis reus est, aut vitæ integer scelerisque purus. Si noxius sit, mitior lege Judex est, qui veluti de incerto cum eo crimine transigit, & capite damnandum relegatione aut simili arbitraria pœna coercet. Si innocens, grave fatis est, eum post triplex torturæ experimentum, aut metum saltim sæpius incussum, nullius licet conscium sibi criminis damnare. Utroque casu nec confessus nec convictus punitur, plane contra præcepta Legum. Improbis autem, inprimis illis, qui nusquam & ubique habitant, & quibus omne solum patria est, occasionem hæc sententia præstat eludendi Judicem & omnem tormentorum usum. Solenne illis fiet alternis vicibus fateri, & infitari, negare hodie, quod heri affirmaverant, & post tergeminas confessiones & infitiationes elabi.

XXIII.

Habet ergo aliquid iniqui etiam hoc remedium, præferri plus æqui tamen, quam eæ, quas §. XVI. XVII. XIX. commemoravi, sententiæ, habet. Satius est innocentem relegare, quam occidere, imo satius etiam, quam torquere: cum ne ob crimina quidem, quorum exilium pœna est, quisquam torqueatur. In primis si non plane innocens sit, si culpa sua suspectus, si convictus de leviori delicto, aut de attentato confessus scelere, unde ad inquisitionem majoris & consummati criminis adversus ipsum suspicio fit enata. Nocentem vero melius est aliqua, quam nulla affici coërcitione. Denique in Criminibus occultis præstat aliquos imo etiam

F

plures

plures leuiori defunctos pœna dimittere, quam paucos, quam unum innocentem capitali supplicio punire.

XXIV.

*Pœna hæc
extraordi-
naria ad
fustium
ictus ex-
tendi ne-
quit.*

Recte vero præcipiunt, qui monent, *hanc*, quæ ob incertum crimen vel ob suspicionem potius criminis & variationem imponitur, *pœnam ultra relegationem non debere extendi*. Quo grauior pœna est fustium, eo minus ea ad tam dubium casum proferri potest. (a) Itaque CARPZOVIVS carceri tantum aut exilio temporali vel ad summum perpetuo locum relinquit. *Qu. 126. n. 58.* Quod cum eo quoque casu, quo ob nova indicia quis bis aut ter est tortus, obtineat teste eodem CARPZ. *qu. 125. n. 75.* multo magis nostro casu attendi debet, ubi alia indicia non supervenerunt: Habenda autem hic est ratio criminis, indiciorum & ejus, quam quis jam sustinuit, etiam quæstionis, perinde ac illius, quam sustinere debuisset, nisi confessione sua tortorem avertisset. Multum enim interest, utrum jam fere omnem quæstionis acerbiter perpeffus, purgatis magnam partem suspicionibus confessus sit, an statim ad ipsum carnificis & tormentorum aspectum. Tum si de crimine non capitali agatur, aut vix terditio, quam vocant, realis decreta fuerit, mitius fas est agere cum inquisito, quam cum iis, qui de gravissimo scelere per quævis tormentorum genera debuerant interrogari. Plane alia est ratio illorum, qui jam confessi crimen fustigatione dignum pro avertendo ultimo supplicio torquentur, puta si fur se 4. solidos abstulisse confiteatur de

(a) Dissentire videtur Ludovici Einleitung zum Peinlichen Proceß Cap. IX. §. 43. p. 93.

de furto majore suspectus. Is enim dubium non est, quin revocata semel ac iterum confessione furti magni, ob furtum parvum, in cujus confessione perseverat, fustigandus sit. Quod contigit in casu, cujus §. 21. facta est mentio, ubi *Ordo hujus Academiae Juridicus N. N.* hanc poenam dicitavit. Impunis ergo fere tunc revocatio est, quia major poena absorbet & complectitur minorem.

XXV.

Hæc, quæ dixi, obtinere etiam puto, si quis nunquam torturam passus, sed statim dum verbalis aut realis *An idem* *obtinere in* *eo, qui ad* *initium* *questionis* *passus est.* *terrificatio peragitur, seclæ se patiatur ad confitendum.* Non dum sensit ille tormentorum vim, fateor, metum tamen sensit, qui nonnullos vehementius urget, quam alios, qui pollices comprimit tortor. Et si eo quoque minus commotus fuerit, alia tamen non apparet ratio, qua quis tuto contra illum possit uti. Nam hic quoque nec confessus torqueri, nec confessionem revocans damnari potest, nec in infinitum datur progressus. (a) Quare licet LUDOVIC. *Proc. Crim. C. IX. §. 43.* aliud velit obtinere quoad illos, qui gnari hujus rei hoc veluti elabendi remedio utuntur, ego tamen aliam, qua adversus eos incedere liceat, viam non invenio. Nam quod ille putat eo casu

F 2

con-

(a) Ita *Vitembergenses Scabini* sensisse videntur *Ao. 1673. M. Jul.* in causa *Dorischens* ap. *Ill. BERGERUM p. 239.* licet id diffimulent ap. *Eund. p. 233.* Improbant id *Scabini Lipsienses* *ibid. p. 231.* qui recte monent, esse aliquam inter eos, qui jam perpesti dolores tormentorum sunt, & qui vix terrorem eorum sustinuerunt, differentiam, sed qua ratione alia cum his agendum sit ac cum illis, si utrique, quæ confessi fuerunt, revocent, non exponunt. Itaque facile fuerit, sententiam *Vitembergensium* tueri.

confitentem etiam reum torquendum esse, ejus sententiae severitatem §. 18. sq. luculenter ostendimus. Sed & supra dixi §. 20. vix unquam certum satis esse Judicem, an ex dolo & calliditate, an ex metu quis & infirmitate confiteatur. Quod cum in his, qui prima vice tormentis subjiuntur, incertum esse, Vir Excellentiss. fateatur, non video, qui in repetitis tormentis facilius id sit divinare.

XXVI.

Sed hæc ex hypothesi *Carpzoviana*, quam tamen suis etiam premi difficultatibus non diffiteor & jam professus fui. Optimam ex his, quas commemoravi, puto, quia minimis incommodis urgetur. Forte alia, quæ præstet, poterit aliquando excogitari ex his difficultatibus emergendi ratio. Videant de eo alii & expandant, annon satius sit quandoque in locum torturæ corporalis *spiritualem* surrogare & hos, in quibus emendationis spes superest, & sensus honestatis, etiam post frustra tentata & per fictas confessiones elusa tormenta ad jusjurandum admittere. Id magis idoneum forte interdum erit, quam si Clericum Spectatorem Tormentorum esse velis & eodem tempore hunc spiritualia, carnificem corporalia infligere tormenta. Qui enim Minister Verbi Divini feliciter & cum fructu, ac prout par est, suo officio defungetur, ubi tortorem & Judicem attonitus vix audit reus? Qui poterit nocenti persuadere, ut mori malit quam torqueri? qui infanti ut æquo animo tormenta patiat? qui cum eo agere, quem ater an albus sit, ignorat ipse, & quem torquendum esse certum est, incertum deliquisse. In hæc quoque hæc quoque quam dixi cautio locum non habet. Nam quo quis est sceleratior eo ad pejerandum etiam

An non
satius sit
alia rati-
one ad-
versus in-
ficiantem
experiri?

etiam est proclivior, ut pauci inveniantur, qui ubi de capitali causa agitur, jurisjurandi conditionem recusando vitæ periculum faciant. Adversus illos ergo *carcer & ergastulum* forte proderit. Poterunt *tolerabili* detineri *custodia*, aut *cautioni committi*, aut *ab instantia* ut ita dicam *non a Crimine absolvi*, prohiberi etiam, ne fines civitatis egrediantur, antequam aut innocentiae aut commissi criminis major appareat certitudo; gravissima & vel capitali proposita poena, si aut effugerint, aut e custodia fuerint dilapsi. Quæ si obtineant rationes, ipse tormentorum usus aut magis infrequens aut minus necessarius forte fuerit. Sed ea de re alii cogitent. Nam in his quæ Jure scripto non definita sunt, dubiorum causas indicare & exponere cuilibet puto integrum esse, tollere & expedire difficultates aliaque præstare remedia non nostrum est, sed ad eos, qui *supra nos sunt*, pertinet.

T A N T U M.



I.

Qui auxilium furibus etiam in ipso furto præstiterunt, pœna laquei affici nequeunt, nisi lucrum, quod ad eos pervenit, quinque solidos excedat.

II.


Pœna incestus, quam P. 4. *Const. El. 22 verb. die so in Mose Leviticor. 18.* genennet werden constituit, ad eos, qui cum his in eodem gradu sunt, aut quorum eadem est ratio, non pertinet, quamvis ipsa nuptiarum prohibitio ad eos recte extendatur.

III.

Quos gratia Principis a pœna corporis afflictiva liberat, in expensas, a quibus ictus fustium Jur. Sax. immunes reos præstant, recte condemnantur, nisi de alia Principis voluntate constet.

IV.

Judici non est integrum, sententiam a Collegio ICtorum sive in Civili, sive in Criminali causa latam ab actis removere.



**SUMMA
DISSERTATIONIS CAPITA.**

- I. *Iustitiam tormentorum non pauci vocarunt in dubium, plures asseruerunt.*
- II, III. *Argumenta utriusque partis recensentur.*
- IV. *Usus tormentorum tolli potest, etiam a quovis Principe imperii in territorio.*
- V. *Questio decerni non debet in causis civilibus, delictis levioribus, quorum pena corpus non affligit, aut in eos, qui jam de crimine capitali convicti sunt.*
- VI. *Crudelitas tormentorum improbat.*
- VII. *Tormenta non sunt facile repetenda, imo si suspectus criminis ea sustinuerit, absque novis indiciis nunquam.*
- VIII. *Nisi forte, non rite questio habita, & sententia non fuerit satisfactum.*
- IX. *Ob nova eademque graviora indicia questio repeti potest.*
- X. *Sed jure Sax. non nisi in atrocissimis criminibus tertia vice.*
- XI. *Confessio in tormentis facta ad condemnationem non sufficit, nisi tortus ex intervallo eam ratam habeat.*
- XII. *Si confessus in tormentis mox rursus infitietur crimen, repetenda est questio; quod vulgo, recte quidem, non tamen idoneis rationibus asserunt. Ord. Crim. limitationem addit, si confessus errorem possit probare.*
- XIII. *Ob solam infitiationem augeri non debet tormentorum gradus, imo etiam aliquando minui.*

- XIV. *Is tortus, si denuo crimen neget, tertium questioni subijcitur, quod jur. Sax. in gravissimis tantum delictis obtinet.*
- XV. *Tum quoque si tortus & confessus rursus infitietur, non expeditum est, quid fieri a Judice debeat.*
- XVI. *Frustra hoc casu infitiantem ultimo absque confessione supplicio affici posse Huberus contendit.*
- XVII. *Alii iterum torqueri volunt admonitum, si denuo confiteatur, nullum deinceps infitiationi locum fore.*
- XVIII. *Alii consistentem etiam torquere jubent.*
- XIX. *Cujus Sententiae equitas & rationes expenduntur.*
- XX. *Brunnemannus contra infitiantem post triplex tormentorum periculum absolvendum esse censet, quod Huberus in iis tantum admittit, qui cautionis hujus ignari sunt.*
- XXI. *Plerique Carpzovium sequuntur, & pœnae arbitrariae locum relinquunt.*
- XXII. *Quæ licet & difficultatibus non careat opinio,*
- XXIII. *illis tamen, quæ §. 16. 17. 18. allata sunt, merito præfertur.*
- XXIV. *Pœna hæc extraordinaria ad ictus fustium extendi nequit.*
- XXV. *Locum habet etiam 1.) in iis, qui metu questionis quam non tum experti fuerant, confessi sunt, nec non 2.) in iis, qui hujus doctrinæ ignari.*
- XXVI. *Commemorantur alia expediendi hæc difficultates remedia. Conclusio.*

CLARISSIMO CANDIDATO

S. P. D.


PRÆSES.

Largo quos ante triennium, & quod excurrit, Ordo noster Tibi decreverat honores, nunc tandem accipis, & quibus jam tum Te non indignum judicabamus, eis post longum satis intervallum Te demum pateris exornari. Utrumque ad laudes Tuas pertinet, & quod merueris dudum, & quod non ante capessere volueris; hoc enim modestiæ, illud eruditionis Tuæ insigne documentum est, quam in tribus Germaniæ celeberrimis Academiis sum-

summa industria & indefesso studio
Tibi comparasti. Itaque si quando
in patriam reditum paraveris, non
inanis redibis ad Tuos, sed cum di-
gnitatis collatæ accessione, tum re-
rum scientia aliisque animi dotibus
auctus & ornatus, atque spem, quam
de Te Patroni conceperunt, non
implebis modo ex assè, sed & si fieri
id possit, superabis. Ego ut novi,
honores, qui Tibi merenti applau-
dentibus omnibus conferuntur,
Patriæ, Tuis & Tibi bene eveniant,
Deum veneror atque fortunatos
rerum omnium successus & digna
aliquando exhaustis laboribus præ-
mia Tibi ex animo apprecor. Vale.

Scrib. d. XXIII. Dec. A. O. R.

clō lccc xiv.




01 A 6628

ULB Halle


002 934 787

3





iptu
pre
nm
les
ecta
pud
ex.
m c
ri f
dit
nab
on
nan
fic
ti
itu
R
on
t &
a,
n
ue
GL



25

RECTORE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE
^{AC}
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPE REGIO
CETERA
PRAESIDE
D. MICH. HENR. GRIBNERO P.P
JCT. ORD. H. T. DECANO
PRO
CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE
JURE HONORIBVS
DE
REPETITIONE
TORMENTORVM
CONFESSO INFITIANTE
DISSERET
IN AVDITORIO MAIORI
AVCTOR
GEORG. MATTHIAS SELPERT
RATISBON.
DIE XXIIIX. MENSIS DECEMBR. ANN. dno MCCCXIV
VVITTEBERGAE
PRELO VIDVAE GERDESIANAE

